



BOLETÍN ECLESIAÍSTICO  
DEL  
OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

- I. Encíclica de Su Santidad al Episcopado del Canadá. —II. Resoluciones: a) De la S. R. Univ. Inquisición, *circa corruptam ex inadvertentia formam in S. Ordinatione Presbyterali*. b) De la Sagrada Congregación de Ritos: 1.º *De benedictione aquae et coementi pro firmanda tabula super sepulchrum altarium*. 2.º Resolviendo una duda *circa usum S. Hostiam recondendi intra duo crystalla*. 3.º Sobre la facultad de exponer el Santísimo Sacramento. —III. Circular de la Secretaría de Cámara ampliando las facultades de los confesores en el período cuaresmal. —IV. Ancianos elegidos para el Lavatorio del día de Jueves Santo. —V. Privilegios de los militares en actual servicio respecto al ayuno y la abstinencia. —VI. Asociación de Teresianas de Salamanca. —VII. —Bibliografía: *Oficio de la Semana Santa*. —VIII. Necrología.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI  
LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII  
EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM

ORDINARIOS FOEDERATARUM

CIVITATUM CANADENSIVM PACEM ET COMMUNIONEM

CUM APOSTÓLICA SEDE HABENTES

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS  
EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS FOEDERATARUM  
CIVITATUM CANADENSIVM PACEM ET COMMUNIONEM  
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES: SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Affari vos, quod perlibenter atque amantissime facimus, vix Nobis licet, quin sua sponte occurrat animo vetus et constans Apostolicae Sedis cum Canadensibus vicissitudo benevolentiae consuetudoque officiorum. Ipsi rerum vestrarum primordiis comitata Ecclesiae catholicae caritas est: maternoque semel acceptos sinu, amplexari vos, fovere, beneficiis officere numquam postea desiit. Certe immortalis vir Franciscus de Laval Montmorency, primus Quebecensium episcopus, qua res proavorum memoria pro salute publica felicissime sanctissimeque gessit. Neque alio ex fonte auspicia atque orsus agendarum rerum cepere consequentes episcopi, quorum tanta extitit magnitudo meritorum. Similique ratione, si spatium respicitur vetustiorum temporum, non istuc commeari nisi nutu missuque Sedis Apostolicae consuevere virorum Apostolicorum generosi manipuli, utique cum christianae sapientiae lumine elegantiorum cultum atque artium honestissimarum semina allaturi. Quibus seminibus multo eorum ipsorum labore sensim maturescentibus, Canadensium natio in contentionem urbanitatis et gloriae cum excultis gentibus sera, non impar, venit.—Istae sunt res nobis omnes admodum ad recordationem jucundae: eo vel magis, quod earum permanere fructus cernimus non mediocres. Ille profecto permagnus amor in catholica multitudine studiumque vehemens divinae religionis, quam scilicet majores vestri primum et maxime ex Gallia, tum ex Hibernia, mox quoque aliunde, auspiciato advecti, et ipsi sancti coluerunt et posteris inviolate servandam tradiderunt. Quamquam, si optimam hanc hereditatem tuetur posteritas memor, facile intelligimus quamtam hujus laudis partem sibi jure vindicet vigilantia atque opera vestra, venerabiles Fratres, quamtam etiam vestri sedulitas Cleri: omnes quippe, concordibus animis, pro incolumitate atque incremento catholici nominis assidue contenditis, idque, ut vera fateamur non

invitis neque repugnantibus Britannici imperii legibus. Itaque communium recte factorum vestrorum cogitatione adducti, cum Nos romanae honorem purpurae Archiepiscopo Quebecensium aliquot ante annis contulimus, non solum ornare viri virtutes sed omnium istic catholicorum pietatem honorifico afficere testimonio voluimus.— Ceterum de institutione laborare ineuntis aetatis, in qua et christianae et civilis reipublicae spes maxime nituntur, apostolica Sedes numquam intermisit, conjuncto vobiscum et cum decessoribus vestris studio. Hac constituta passim adolescentibus vestris ad virtutem, ad litteras erudiendis complura eademque in primis florentia, auspice et custode Ecclesia, domicilia. Quo in genere eminent profecto magnum Lyceum Quebecense, quod ornatum atque auctum omni jure legitimo ad legum pontificiarum consuetudinem, satis testatur, nihil esse quod expectat studeatque apostolica Sedes vehementius, quam aducere civium sobolem expolitam litteris, virtute commendabilem. Quamobrem summa cura, ut facile per vos ipsi judicabitis, animum ad eos casus adjecimus, quod catholicae Manitobensium adolescentulorum institutioni novissima tempora attulere. Volumus enim et velle debemus omni, qua possumus, ope et contentione eniti atque efficere ut fides ac religio quid detrimenti capiant apud tot hominum millia, quorum Nobis maxime est commissa salus, in ea praesertim civitate qua christianae rudimenta doctrinae non minus quam politioris initia humanitatis ab Ecclesia catholica accepit. Cumque ea de re plurimi sententiam expectarent a Nobis, ac nosse cuperent qua sibi via, qua agendi ratione utendum, placuit nihil ante statuere, quam Delegatus Noster apostolicus in rem praesentem venisset: qui, quo res statu essent exquirere diligenter et ad Nos subinde referre jussus, naviter ac fideliter affectum dedit quod mandaveramus.

Causa profecto vertitur permagni momenti ac ponderis. De eo intelligi volumus, quod septem ante annis legumlatores Provinciae Manitobensis consensu suo de disciplina puerili decrevere; qui scilicet, quod leges Canadensis foederis sanxerant, pueros professione catholica in ludis discendi publicis instituit educarique ac constentiam animi sui jus esse, id jus contraria lege sustulere. Qua lege non exiguum importatum detrimentum. Ubi enim catholica religio aut ignoratione negligitur, aut dedita opera impugnatur: ubi doctrina ejus contemnitur, principiaque unde gignitur, repudiantur, illuc accedere, eruditionis causa, adolescentulos nostros fas esse non potest.

Id sicubi factitari sinit Ecclesia, non nisi aegre, ac necessitate sinit, multisque adhibitis cautionibus, quas tamen constant ad pericula declinanda nimium saepe non valere.— Similiter ea deterrima omninoque fugienda disciplina, quae, quod qui-que malit file credere, id sine ullo discrimine omne probet et aequo jure habeat, velut, si de Deo rebusque divinis rectene sentias an secus, vera an falsa secteris, nihil intersit. Probe nostis, venerabiles Fratres, omnem disciplinam puerilem, quae sit ejusmodi, Ecclesiae esse judicio damnatum, quia ad labefactandam integritatem filei tenerosque puerorum animos a veritate flectendos nihil fieri perniciosus potest.

Aliud est praeterea, de quo facile vel ii assentiantur, qui cetera nobiscum dissident: nimirum non mera institutione litteraria non solivaga jejunaque cognitione virtutis posse fieri, ut alumni catholici tales e schola aliquando prodeant, quales patria desiderat atque expectat. Tradenda eis graviora quaedam et majora sunt, quo possint et christiani boni et cives frugi probique evadere: videlicet informentur ad ip-a illa principia necesse est, quae in eorum conscientia mentis alte insederint, et quibus parere et quae sequi debeant, quia ex file ac religione sponte efflorescunt. Nulla est enim disciplina morum digna quidem hoc nomine atque efficax, religione posthabita. Nam omnium officiorum forma et vis ab iis officiis maxime ducitur, quae hominem jungunt jubenti, vetanti, bona malaque sancienti Deo. Itaque velle animos bonis imbueri moribus simulque esse sincere religionis expertes tam est absonum, quam vocare ad percipiendam virtutem, virtutis fundamento sublato. Atqui catholico homini una atque unica vera est religio catholica: proptereaque nec morum is potest, nec religionis doctrinam ullam accipere vel agnoscere, nisi ex intima sapientia catholica petitam ac depromptam. Ergo justitia ratioque postulat, ut non modo cognitionem litterarum alumni schola suppeditet, verum etiam eam, quam diximus, scientiam morum cum praeceptionibus de religione nostra apte conjunctam, sine qua nedum non fructuosam, sed perniciosam plane omnis futura est institutio. Ex quo illa necessario consequuntur: magistris opus esse catholicis: libros ad perlegendum, ad ediscendum nos alios, quam quos episcopi probarint, assumendo: liberam esse potestatem oportere constituendi regendique omnem disciplinam ut cum professione catholici nominis, cumque officiis quae inde proficiuntur, tota ratio docendi discendique apprime congruat atque consentiat.— Videre autem de suis quemque liberis, apud quos instituantur, quos habeant

vivendi praeceptores, magnopere pertinet ad patriam potestatem. Quocirca cum catholici volunt, quod et velle et contendere officium est, ut ad liberorum suorum religionem institutio doctoris accommodetur, jure faciunt. Nec sane iniquius agi cum iis queat, quam si alterutrum malle compellantur, aut rudis et indoctos, quos procrearent, adolescere, aut in aperto rerum maximarum discrimine versari.

Ista qui lem et judicandi principia et agendi, quae in veritate justitiaque nituntur, nec privatorum tantummodo, sed rerum quoque publicarum continent salutem, nefas est in dubium revocare, a quoquo modo deserere. Igitur cum puerorum catholicorum institutionem debitam insueta lex in Manitobensi Provincia perculisset vestri muneris fuit, venerabiles Fratres, illitam injuriam ac perniciem libera voce refutare: quo quidem officio sic perfuncti singuli estis, ut communis omnium vigilantia ac digna episcopis voluntas eluxerit. Et quamvis hac de re satis unusquisque vestrum sit conscientiae testimonio commendatus, assensum tamen atque approbationem Nostram scitote accedere: sanctissima enim ea sunt, quae conservare ac tueri studuistis, studetis.

Ceterum incommoda legis Manitobensis, de qua loquimur, per se ipsa monebant, opportunam sublevationem mali opus esse concordia quaerere. Catholicorum digna causa erat, pro qua omnes omnium partium aequi bonique cives consiliorum societate summaque conspiratione voluntatum contenderent. Quod, non sine magna jactura, contra factum. Dolendum illud etiam magis, catholicos ipsos Canadenses sententias concorditer, ut oportebat, minime in re tuenda junxisse, quae omnium interest plurimum: cujus prae magnitudine et pondere silere studia politicarum rationum, quae tanto minoris sunt, necesse erat.

Non sumus nescii, emendari aliquid ex ea lege coeptum. Qui foederatis civitatibus, quique Provinciae cum potestate praesunt, nonnulla jam decrevere minuendorum gratia incommodorum, de quibus expostulare et conqueri catholici ex Manitoba merito insistunt. Non est cur dubitemus, susceptum id aequitatis amore fuisse consilioque laudabili. Dissimulari tamen id quod res est, non potest: quam legem ad sarcienda damna condidere, ea manca est, non idonea, non apta. Multo majora sunt, quae catholici petunt, quaeque eos jure petere, nemo neget. Praeterea in ipsis illis temperamentis, quae excogitata sunt, hoc etiam inest vitii quod, mutatis locorum adjunctis, carere effectu facile possunt. Tota ut res in breve cogatur, jurt

bus catholicorum educationique puerili nondum est in Manitoba consultum satis: res autem postulat, quod est justitiae consentaneum, ut omni ex parte consulatur, nimirum in tuto positus debitoque praesidio septis iis omnibus, quae supra attigimus, incommutabilibus augustissimisque principiis. Huc spectandum, hoc studiose et considerate quaerendum. — Cui quidem rei nihil obesse potest discordia pejus: conjunctio animorum est et quaedam quasi contentus actionum pernecessarius. Sed tamen cum perveniendi eo, quo propositum est et esse debet, non certa quaedam ac definita via sit, sed multiplex, ut fere fit in hoc genere rerum, consequitur varias esse posse de agendi ratione honestas eademque conducibiles sententias. Quamobrem universi et singuli meminerint modestiae, lenitatis, caritatis mutuae; videant ne quid in verecundia peccetur, quam alter alteri debet: quid tempus exigat, quid optimum factu videatur, fraterna unanimitate, non sine consilio vestro, constituant, efficiant.

Ad ipsos ex Manitoba catholicos nominatim quod attinet, futuros aliquando totius voti compotes, Deo adjuvante, confidimus. Quae spes primum sane in ipsa bonitate causae conquiescit: deinde in virorum, qui res publicas administrant, aequitate ac prudentia. tum denique in Canadensium, quotquot recta sequuntur, honesta voluntate nititur. Interea tamen, quamdiu ratione suas vindicare nequeant universas, salvas aliqua ex parte habere ne recusent. Si quid igitur lege, vel usu, vel hominum facilitate quadam tribuatur, quo tolerabiliora damna, ac remotiora pericula fiunt, omnino expedit atque utile est concessis uti, fructumque ex iis atque utilitatem quam fieri potest maximam capere. Ubi vero alia nulla mederi ratione incommodis liceat, hortamur atque obsecramus, ut aucta liberalitate munificentiaque pergant occurrere. Non de salute ipsorum sua, nec de prosperitate civitatum mereri melius queant, quam si in scholarum puerilium tuitionem contulerint, quantum sua cunctique sinat facultas.

Est et aliud valde dignum, in quo communis vestra elaboret industria. Scilicet vobis auctoribus, iisque adjuvantibus, qui scholis praesunt, instituere accurate ac sapienter studiorum rationem oportet, potissimumque eniti ut, qui ad docendum accedunt, affatim et nutritae et artis praesidiis instructi accedant. Scholas enim catholicorum rectum est cum florentissimis quibusque de cultura ingeniorum, de litterarum laude, posse contendere. Si eruditio, si decus humanitatis quaeritur, honestum sane ac nobile judicandum Provinciarum Canadensium propositum, augere ac provehere pro viribus

expetentium disciplinam institutionis publicam, quo politius quotidie ac perfectius quiddam, contingat. Atqui nullum est genus scientiae, nulla elegantia doctrinae, quae non optime possit cum doctrina atque institutione catholica consistere.

Hisce omnibus illustrandis ac tuendis rebus, quae hactenus dictae sunt, posunt non parum, si ex catholicis prodesset, quorum opera in scriptione praesertim quotidiana versatur. Sint igitur memores officii sui. Quae vera sunt, quae recta, quae christiano nomini rei-que publicae utilia, pro iis religiose animoque magno propugnent ita tamen ut decorem servant, personis parcant, modum nulla in re transiliant. Vereantur ac sancte observent episcoporum auctoritatem, omnemque potestatem legitimam: quanto autem est temporum difficultas major, quantoque dissensionum praesentius periculum, tanto insistant studiosius suadere sentiendi aequidique concordiam sine qua vix aut ne vix quidem spes est futurum ut id, quod est in optatis omnium nostrum, impetretur.

Auspicem caelestium munerum, benevolentiaeque Nostrae paternae testem accipite apostolicam benedictionem, quam vobis, venerabiles Fratres, Clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII decembris, anni MCCCXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

LEO PP. XIII.

---

## E S. R. UNIV. INQUISITIONE

---

### **Circa corruptam ex inadvertentia formam in S. Ordinatione Presbyterali**

*Beatissime Pater,*

N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter petit quid agendum sit cuidam clerico, in cujus ordinatione presbyterali Episcopus inadvertenter ita corripit formulam ut dixerit: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum retinueris peccata, remissa sunt; et quorum retinueris, retenta sunt.*

*Feria V, loco IV, 9 Decembris 1897.*

In Cong. Gen. S. et U. I. habita ab Emis et Rmis DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitisque RR. DD. CC. S. Officii votis, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum censuerunt:

«Secreto et sub conditione quovis anni tempore suppleatur ad cautelam a quovis Episcopo cum Sancta Sede communionem habente, induto de more, *tertia manuum impositio* et forma respectiva: *Accipe Spiritum S.* etc.: et quoad praeteritum, acquiescat.»

Insequenti vero feria VI, die 10 dicti mensis et anni in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo. D. N. D. Leoni D. v. Prov. Pp. XIII relatione, S. S. resolutionem Emorum Patrum, contrariis non obstantibus quibuscumque, in omnibus adprobavit.— I. Can. MANCINI, S. R. et U. I. Not.

---

## DE BENEDICTIONE AQUAE ET COEMENTI PRO FIRMANDA TABULA SUPER SEPULCHRUM ALTARIUM

---

Rmus. Dnus. Salvator Joannes Baptista Bolognesi, Episcopus Bellunensis et Feltrensis, qui per Rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 23 Novembris anni elapsi 1897, obtinuit facultatem consecrandi, sive per se, sive per Sacerdotem, Apostolicae Sedis nomine a se delegatum, quaedam altaria, adhibendo breviorum ritum ac formulam juxta instructionem ad ipsum transmissam, ab eadem Sacra Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime efflagitavit; nimirum:



I. An aqua, cum qua fit malta seu coementum ad firmandam tabulam seu lapidem super sepulchrum reliquiarum, benedici valeat cum formula inserta in Missali Romano?

II. An ipsum coementum benedicendum sit?

III. An supradicta benedictio tum aquae tum coementi, necnon facultas consecrandi Altaria, in quibus lapis sepulchri ob omissum coementum movetur, Apostolicae Sedis nomine delegari possit simplici Sacerdoti, vi obtenti Rescripti?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exposito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, sed in benedictione ejusmodi aquae adhibenda est formula, quae habetur in ipso Pontificali Romano.

Ad II. Affirmative juxta Pontificale Romanum.

Ad III. Affirmative quoad utramque partem.

Atque ita rescripsit. Die 21 Januarii 1898.—C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*—D. PANICI, *Secr.*

---

## DUBIUM CIRCA USUM S. HOSTIAM RECONDENDI INTRA DUO CRYSTALLA

---

In plurimis Galliae Ecclesiis atque Oratoriis usus invaluit postremis hisce temporibus sacram Hostiam, quae in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia, eamque in Tabernaculo reponendi absque ulla capsula, seu custodia. Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: *An ejusmodi praxis licita sit?*

Atque eadem Sacra Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis liturgicae, ac re mature perpensa, proposito Dubio respondendum censuit: Affirmative; dummodo sacra Hostia in dictis chrySTALLIS bene sit clausa, atque crystalla non tangat, juxta alia decreta. —C. CARD. MAZZELLA, *Praef.* —L. † S. —D. PANICI, *Secret.*

---

## FACULTAD DE EXPONER EL SANTÍSIMO SACRAMENTO

---

### *Baren*

Quum in Civitate Baren. novitas introducta fuisset a Regularibus qui nempe, in suis Ecclesiis, sub praetextu exercitiorum spiritualium aliove, et sine Ordinarii licentia, fere quotidie peragebant expositionem SSmae. Eucharistiae, ex qua frequentia, notabiliter vilescere coeperat hoc exercitium, Archiepus. publicavit Edictum in quo prohibuit ne in posterum quilibet Religiosus, quaelibetve alia persona cujuslibet status et conditionis, absque licentia Ordinarii in scriptis obtinenda expositionem haberet SSmi. Sacramenti quovis sub praetextu. Regulares non reclamarunt contra hoc Edictum; sed Patres Societatis Jesu praetensionem emisertunt se jus habere ad obtinendam licentiam peragendi omnia in genere exercitia spiritualia, quae a Patribus Societatis peraguntur in Provinciis Regni Neapolitani. Quapropter apud H. S. Cong. recursum habuerunt praetendentes se fuisse impeditos ab Archiepo. in legitimo usu suorum jurium. Reponit vero Archiepus. se nullo modo jura turbasse, ut ex verbis Elicti constat, neque exercitia impedivisse, sed tantummodo expositionem SSmi. Sacramenti. Jamvero nequeunt P. Je-

suitae sub praetextu solemnitatis cujuslibet, invito Epo., exponere SSmum. Sacramentum, nam infinita sunt decreta S. Sedis definienda quod haec sollemnis expositio fieri non debet absque beneplacito Ordinarii, etiamsi de Regularibus agatur. Cfr. Nicolius, Flosc. verb. Eucharistiae, n. 23; Hovar. in Lucerna Regular., eodem verbo n. 3; Barbos., in collect. decision., eodem verbo; Lezzana, Quaest. Regul., part. 3, eodem verbo n. 4, qui refert decretum sub die 26 Aprilis 1641 emanatum, in quo H. S. Cong. statuit posse Episcopum procedere, etiam cum censuris, contra Regulares inobedientes et contumaces. Unde multo magis sustineri debet prohibitio ab Archiepo. Barren. facta, nam adeo frequens erat praedicta expositio, quot deficiebat existimatio debita et reverentia.

Quare.

Em. Patres rescripserunt:

*Audiantur Jesuitae, et interim serventur decreta.*

---

## SECRETARÍA DE CÁMARA

---

### Circular

El Rmo. Prelado diocesano autoriza á todos los Sres. Sacerdotes que tengan corrientes sus licencias ministeriales en este obispado, para que, durante el período del cumplimiento pascual, que, conforme dispone el Sínodo diocesano, debe de comenzar en la tercera dominica de cuaresma y terminar en la tercera de la Pascua de Resurrección, ambas inclusive, puedan absolver á los penitentes de todos los casos reservados al Prelado, así como también para que puedan habilitar á cuantos lo necesitaren *ad petendum debitum*, procurando advertir á los penitentes de la grave-

dad de tales pecados, á cuya detestación les exhortarán vivamente y les impondrán saludable penitencia, indicándoles asimismo que se provean de la Santa Bula de la Cruzada, por los múltiples privilegios, algunos con este punto relacionados, que de la misma pueden reportar.

Recuerden asimismo los Sres. Párrocos lo establecido en el Sínodo respecto á facilitar á los feligreses confesores extraordinarios, auxiliándose mutuamente, como lo vienen haciendo, los Sacerdotes circunvecinos, y dése cuenta á esta Secretaría de las personas que dejaren de cumplir con el precepto pascual.

Salamanca 12 de Marzo de 1898.

**DR. PEDRO GARCÍA REPILA,**

*Secretario.*

---

**Ancianos pobres elegidos para representar á los Apóstoles en el Lavatorio de Jueves Santo.**

---

Gabriel Sánchez Fuentes, 85 años, de la parroquia de la Purísima Concepción.

Hilario García Hernández, 83 id., de la id de Sancti-Spíritus.

Francisco González, 82 id., de la id. de San Cristóbal de la Cuesta.

Manuel González Ramos, 80 id., de la id. de Topas.

Juan Antonio Medina, 78 id., de la id. de Florida de Liébana.

Victor Gorjón Sendín, 77 id, de la id. de Sancti Spiritus.

Ramón González, 73 id., de la id. de la Catedral.

Antonio Cabo Iglesias, 73 id., de la id. de Villoria.

Manuel Miguel Martín, 72 id., de la id de la Catedral.

Manuel Cruz Coria, 70 id., de la id. de Alba de Tormes.

Dos ancianos del Asilo de las Hermanitas de los Pobres.

*Suplente.*—Valentín Iglesias, de la id. de la Catedral.

*Nota.*—Los respectivos Sres. Curas párrocos tendrán la bondad de comunicarlo á los interesados, advirtiéndoles que deben presentarse el Miércoles Santo, á las once de la mañana, en el Palacio Episcopal, á recibir órdenes.

---

## PRIVILEGIOS DE LOS MILITARES EN ACTUAL SERVICIO

EN CUANTO Á LOS PRECEPTOS DE LA ABSTINENCIA  
Y DE AYUNO

---

*Abstinencia.*—Pueden comer carnes, pescados y lacticios en una misma comida todos los días del año, excepción hecha, en cuanto á la carne, del Miércoles de Ceniza, los siete viernes de Cuaresma y los cuatro últimos días de Semana Santa.

Del mismo privilegio gozan sus esposas, hijos, comensales y criados que coman de su mesa.

Cesa este privilegio para la familia durante la ausencia del militar, cabeza de ella, «si dura más de tres días».

*Ayuno.*—No tienen obligación de ayunar los militares y sus familias más que el Miércoles de Ceniza, los viernes y sábados de Cuaresma y toda la Semana Santa.

No alcanza este privilegio á los comensales y criados, por más que puedan comer carne, y aun promiscuar, excepto los días arriba citados.

Cuando los militares se encuentren en campaña, gozan de dispensa ilimitada de los preceptos de abstinencia de

carne, huevos y lacticios; como también del de no promiscuar, y aun del ayuno, exceptuando solamente los ya dichos familiares y criados, los cuales, aun cuando usen de la licencia concedida de comer carne y promiscuar en los referidos días, esto no obstante, estarán obligados á guardar en dicho tiempo el precepto del ayuno.

De donde se deduce que no están en lo cierto aquellos militares de laxas conciencias que, por ser tales, ya creen poder usar de carnes en sus comidas y aun promiscuar siempre que se les antoje, como si este privilegio no tuviera limitación alguna.

Igualmente yerran por el extremo contrario las señoras de militares que, por miedo de manchar sus conciencias, prescinden de aquellos privilegios y pretenden aplicar á sus maridos, repugnándolo ellos, la regla común de los fieles.

Asimismo es de observar en lo ya expuesto, que si la ausencia del militar, jefe de familia, se prolonga por más de tres días, su esposa y comensales no pueden gozar de sus privilegios, quedando en estos casos reducidas á la condición de los otros fieles; y por lo tanto, si comen de carne en días prohibidos, durante aquellas ausencias, deben tomar las Bulas que á sus categorías correspondan.

Y últimamente, que como los mencionados privilegios están otorgados por la Santa Sede en favor de los militares en actual servicio, los que no lo están, no pueden gozar de ellos, ni menos sus respectivas familias; y por consiguiente, los que han pasado á la reserva y los jubilados pertenecen al fuero común, debiendo, por lo tanto, tomar las Bulas correspondientes, si desean disfrutar de las gracias y privilegios.

El Secretario Contador de la Comisaría de Cruzada,  
*Eduardo Moreno Caballero.*

## ASOCIACIÓN DE JÓVENES TERESIANAS

---

La Junta directiva de Teresianas de Salamanca, con celo muy plausible, desea ponerse en relación con las demás juntas de la diócesis, á fin de dar más esplendor á las demostraciones extraordinarias de devoción á su Santa.

El Rmo. Prelado se ha servido aprobar tan hermoso pensamiento y ordenar se publique en este BOLETÍN para que todos los Sres. Directores y Presidentas de las Teresianas se sirvan cooperar fervorosos á tan piadosa idea.

Igualmente ha aprobado el Excmo. Sr. Obispo que la Revista titulada *La Basílica Teresiana*, sea órgano de la susodicha Asociación.

---

## BIBLIOGRAFÍA

---

### UN LIBRO INTERESANTE Á LOS SEÑORES PÁRROCOS EXTRAURBANOS

El Sr. D. Eustaquio Gil Gómez, Beneficiado Maestro de ceremonias en Zaragoza, acaba de dar á la estampa un libro de suma utilidad á los párrocos de iglesias menores, para la celebración de los oficios de la Semana Santa.

Como quiera que el Ritual sólo prescribe lo que se ha de hacer, supuesta la asistencia de Diácono y Subdiácono, el autor mencionado ha tenido á la vista lo que prescribe el *Memorial* de Ritos, que publicó Benedicto XIII, siendo Arzobispo de Benevento, y completa las omisiones de este Memorial, respecto á los Maitines y demás horas canónicas del último Tríduo de la Semana Santa.

Las observaciones que el Párroco debe tener en cuen-

ta, van, para su mayor comodidad, intercaladas en el texto y en idioma castellano, prévia consulta que el autor hizo á la Sagrada Congregación de Ritos.

Por todo lo dicho, y entendiendo nuestro Reverendísimo Prelado oportuno y conveniente que todas las parroquias de esta diócesis posean un ejemplar del libro que anunciamos, dió encargo de que se pidiera número bastante de dichos ejemplares para distribuirlos entre aquéllas, como se hará inmediatamente, enviándolos á los centros de Arciprestazgo, para que allí puedan recogerlos los sacerdotes con mayor prontitud y facilidad, advirtiéndole que el libro se destina á las parroquias, de las que será propiedad perpétua, toda vez que de los fondos de fábrica se atenderá á su pago. Así lo harán constar los Sres. sacerdotes, sellando el libro con el sello de la parroquia.

Al que le fuere más cómodo recibir el libro en Salamanca, puede desde luego hacerlo, acudiendo, al efecto, á las oficinas episcopales.

Respecto de la impresión, diremos que es muy esmerada, y adorna el libro elegante encuadernación en pasta.

---

## NECROLOGÍA

---

En el mes anterior de Febrero falleció el presbítero D. Prudencio Hernández, párroco que fué de la de San Pedro de Ciudad Rodrigo.

Pertenecía á la Hermandad de Sufragios Espirituales del Clero. Los Sres. Socios aplicarán una misa y tres responsos por el alma del finado.

---

SALAMANCA.—Imp. de Calatrava, á cargo de L. Rodríguez.—Teléfono 17